



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. IV. Corollarium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

prærogativam seu prioritatis, seu etiam possessionis; juxta Cap. Si à sede. De præbend. in 6. & Clement. 1. §. Neuro. Vi lite pendente. cum cæteroqui merito habenda sit ratio per cit. Cap. Dudum. adducta, cui subnectitur: Propter quod nostra, qui eandem (imò majorem in collatione beneficiorum) occupavimus potestatem, potior esse debet conditio.

Soler equidem Summus Pontifex regulariter se non ingerere in collatione beneficiorum, quæ liberæ collationi ( præsentationeque patroni præsupposita ) institutioni Ordinariorum permittit; tamen vel Summus Pontifex derogare potest huic juri, suæque absolutæ auctoritate uti in conferendis beneficiis, vel etiam de facto sibi reservavit seu generaliter, seu specialiter, aut etiamnum potest reservate certa beneficia.

S. IV.

Corollarium.

Insertur; Quibus vijs ac modis Ecclesia Gallicana ad onera beneficiorum Ecclesiasticis imposta executanda, sibi adseriverit libertatem à se nunc præterita consuetam? Auctor præcit. tract. de libert. Eccles. Gallic. lib. 1. cap. 16. hanc rem ita describit. Ex omnibus malis, quæ dissidium inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maximum, & aliorum quamplurimorum causa fuit schisma. Cum enim Clemens V. Philippi operâ ad Summum Pontificatum evectus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt subseqentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romam retulit. Eo Romæ defuncto anno 1378. Cardinales, qui majori ex parte Galli erant, Bartholomæum Prigianum Barij in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex se Cardinalem severum animæversorem, & reformatorem præbuit, eosque hac de causa infensos habuit, illi Anagninam primûm, deinde Fundos recesserunt, ubi Conventu facto, electionem Urbani VI. utpote gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciârunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hunc promovit, defenditque Ioannes Grangius, Gallicè laGrange, Cardinalis & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratiâ Caroli VI. Francorum Regis potentissimus. Romæ Urbanus hæsit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam miserè laceravit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense, abrogatâ de Pontificatu contententibus Dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Gregorij in Velabro, qui sibi Martini V. nomen inâdidit, quicquid solus postea legitimus Pontifex agnitus est.

Tempore autem illius schismatis cum uterque Pontifex ad tuendam suam dignitatem maximis sumptibus, & potentibus ami-

cis indigeret, gravia Beneficariis onera imponebat, Beneficiorum collationem sibi reservabat, multaq; contra disciplinam antiquam comitebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacij VIII. avita erga Summos Pontifices observantia, aliquantum refrixerat, maximè autem Clerus tanti ponderis impatiens, & Universitas Studij Parisiensis, cujus tunc temporis magna erat non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica auctoritas, quæque molestè ferebat, viuis literatis Beneficia non conferri, de executiōe illo iugo cogitârunt, quare Regis, Senatûs Parisiensis, & Regni Primum opem implorârunt, ac promptam nacti sunt. Itaque sub Carolo VI. cum adhuc atate, ac deinde mente debilis esset, in medium adducta est libertas Ecclesiæ contra Pontificum exactiōnes, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, ac sensim contra cætera omnia, quæ nimis gravia videbantur, in quo potentia secularis cum Clero consensit, eumque maxime juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multo magis Jurisconsultorum animos invasit studium quoddam libranda Pontificiæ auctoritatis, ne ultra positos sibi à Christo terminos in præjudicium Cleri, aut Regni produceretur. Deinde etiam ad Concilia Oecumenica examinanda, libertas illa protenta est.

Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesiæ Gallicanæ nomine censerit voluit, Bituricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt præcipua Concilij Basileensis Decreta, exactiōibus, & Beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari præcepit. Fuit aliquamdiu hæc Sanctio, seu Thesaurus, ac Promptuarium libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatûs convellebatur auctoritate.

Verum Summi Pontifices Pragmaticam illam sanctionem abominati sunt tanquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis factum tunc temporis editum, cum Concilium Basileense legitimum non esset, absente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papâ, & maximo Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum Summo Pontifice Florentiæ Concilium habebant (quò convocati fuerant etiam Patres Basileenses degentes) quorumque decreta, utpote à Capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium Decretis longè erant antepōnenda. Tandem Pontificum diligentia Pragmatica illa sanctio primûm à Ludovico XI. deinde à Francisco I. Regibus Franciæ fuit abrogata, ut testantur illorum Edicta.

Senatus quidem, & Universitas Studij Parisiensis, imò Clerus universus dissentimè illam propugnaverunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliæ, ac usui cedere coacti sunt, quamvis, ut sæpe significârunt,

CONCLUSIO

inviti. Nam adhuc anno 1636. cum in Comitibus Cleri Gallicani Procuratores, seu Promotores inter Acta Cleri paulo ante collecta, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. relata fuisset, atque inde tacitum Cleri consensum, & Concordatorum approbationem fortassis inferendam monuissent, Comitibus authenticè declararunt, instrumentum illud ad Ecclesiasticorum virorum commoditatem, non autem in majoris approbationis signum illic fuisse insertum. Itaque licet titulo 1. Concordatorum prædictorum referatur, ea fuisse Statuta loco dictæ Pragmaticæ Sanctionis, ac omnium Capitulorum in ea contentorum: tamen adhuc nonnulla retinentur, quæ Concordatis expressè contraria non sunt.

39. Cæterum Ecclesia Gallicana, quæ, ut se à Summorum Pontificem exactionibus, & Beneficiorum reservationibus liberam servaret, ad Potestates sæculares recurrit. Potestatis sæcularis facta est serva, & cum Romani Pontificis jurisdictionem molestè ac graviter tulit, suam, à laica ferè omninò absorptam ingemuit. Testantur enim Parliamentorum placita, Advocatorum libri, inò frequentes Cleri Gallicani querelæ, prætextu tuendarum libertatum Gallicanarum, & impediendorum abusuum, jurisdictionem Ecclesiasticam à sæculari esse ferè penitus extinctam.

40. Nec magna futuræ restitutionis spes affulget. Cum enim Summi Pontificis auctoritas in Gallia plenè vigeret, poterat Episcopis, aliisque Ordinibus Ecclesiasticis viris ad defendenda sua jura opem ferre. At nunc eam imminutà, etiam postulante Clero, aut potius restricto ejus potestatis usu, parùm efficaciæ auxilium à sancta Sede sperari potest, nisi Christianissimi Regis religio ad Majorum suorum exemplum, certò sibi persuadeat, maximam gloriæ suæ partem in liberanda, & protegenda Ecclesia esse positam, suamq; auctoritatem, sicut pro fide restauranda, sic pro restituenda Ecclesiæ libertate seridè impendat.

41. Sicut igitur Gallia ipsa exactionibus, & Beneficiorum reservationibus, quibus se à Pontificibus, vel ab eorum Officialibus premere conquirebatur, occasionem præbuerat, Pontifices Avenionem advocans, ut viciniore haberet, ac postmodum in schismate inter plures Pontifices Avenionensium partes amplectens; sic etiam ut se adversus illa onera contra Potestatem Ecclesiasticam tueretur ad laicam recurrens, ab ista in duriorē, ac miserabiliorem servitutē redacta est. Hoc utrumque testantur scriptores Gallicani. Genebradus Chron. lib. 4. in Clement. V. de translatione Sedis Pontificiæ, ista scripsit; Denique hæc Sedis Apostolicæ translatio valde servavit antiquam Ecclesiæ faciē. Nam præter inauditas dispensationes, & sanctorum Canonum enervationes, perijt illud Divinum jus, secularia secularibus, & regularia regularibus; maximè in Gallia, dum Pontifices hujus transmigrationis plusquam Babylonica (nam observantiam regularem, disciplinam Ecclesiasticam penè totam, jura denique condidit, corruptisque) Patriæ, & Principibus impiè

favere gessiant. En servitutis origo, en libertatis vindicandæ occasio.

Pragmaticam Sanctionem Judicibus sæcularibus ad opprimendam, & ferè extinguendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, viam stravisse, docet Tractatus de Jurisdictione Ecclesiastica to. 1. cap. 9. Actorum Cleri, editionis 1673. exscriptus.

Non est tamen hic omittendum, Edmundum Richerium Doctorem ac Socium Sorbonicum in Libro de Ecclesiastica, & politica potestate num. 13. Gallicanarum libertatum originem appellacionibus ab abusu tribuere; Hæc ratio procedendi Gallorum, inquit, de appellacionibus loquens; originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgò nominant, Quæ certè origo, si vera est, & plurimum est Ecclesiæ odiosa, nec multum antiqua.

~~~~~

#### DISQUISITIO VIII.

Quid possit Summus Pontifex circa Ecclesiam Gallicanam, ejusque specialia jura & libertates?

§. I.

MERITO hæc præmittenda venit descriptio Ecclesiæ Gallicanæ, de cujus præterita libertate hæc agitur, quod ex sæpe facto Athore tractatus de libertat. Ecclesiæ Gallic. lib. 1. cap. 2. à n. 6. hæc exhibemus. Quamvis igitur Ecclesiæ nomen pro Clero frequentius usurpetur: tamen cum de libertatibus Gallicanis agitur, ea vox non solum Antistes, sed & Laicos complecti, maximè Regem, ejusque Officiales, à nonnullis dicitur; aded ut Ecclesiæ Gallicanæ significet fideles omnes in hoc Regno degentes, cum aliquo tamen ordine ad Religionem, ad quam refertur omnis Ecclesiæ apud Christianos: qua in resolum cavendum est, ne sub nominis æquivocatione fraus contegatur, quod reverà contigit, conqueritur Illustrissimus & doctissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montispellulani in ea ad Stephanum Balozium epist. quæ ante libros D. de Marca de concord. Sacrad. Imp. edita est. Incidit, inquit, in locum ejus scriptoris anonymi, qui ementio Gallicanæ libertatis propugnandæ titulo librum notà censoriam olim adustum, Regià sanctione proscriptum, ac perpetuis tenebris damnandum, in lucem esse ausus est: illo falsam thesim (scilicet Laicorum aequè ac Clericorum ceterum Ecclesiæ Gallicanæ componere, ejusque communi decreto publica ejus Ecclesiæ negotia decideri, & non Episcoporum jussu, ad quos propositionem de difficultibus negotiis, quæ ad ipsorum vocationem spectant, tantum pertinere) & auctoritate amici nostri fulcire nititur. Quamvis fraudem scriptoris facillimè detegerem, & lusam ejus mentem in æquivoco, ut loquuntur Logici, cum libertatis, tum Ecclesiæ nomine amultererem. Alia est enim significatio Ecclesiæ, quæ fideles omnes complectitur, ut & libertatis, quæ singulos